


Edition Open Sources

Sources 13

Federica De Felice:

Declaratio rectilinationis curvae, quae ponitur in primo modo secundi libelli *De mathematicis complementis*

DOI: 10.34663/9783945561515-12



In: Federica De Felice: *Niccolò Cusano. Scritti matematici : Introduzione, traduzione e note*

Online version at <https://edition-open-sources.org/sources/13/>

ISBN 978-3-945561-50-8, DOI 10.34663/9783945561515-00

First published 2020 by Max-Planck-Gesellschaft zur Förderung der Wissenschaften, Edition Open Sources under Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International License.

<https://creativecommons.org/licenses/by-sa/4.0/>

Printed and distributed by:

epubli/neopubli GmbH, Berlin

<https://www.epubli.de/shop/buch/103912>

The Deutsche Nationalbibliothek lists this publication in the Deutsche Nationalbibliografie; detailed bibliographic data are available in the Internet at <http://dnb.d-nb.de>

**Declaratio rectilinationis curvae,
quae ponitur in primo modo secundi libelli *De mathematicis comple-
mentis***

Traduzione italiana a p. 265.

Prima suppositio

1. Sexta cum medietate portionis quintae, quae cadit inter curvam et quartam, potest aequari *be* curvae. Haec suppositio certa est, ut in littera (cfr. figura 1).




fig. 1

Secunda suppositio

2. Sexta cum medietate portionis et quinta cum medietate differentiae chordae, quae est sexta, et partis quintae, quae etiam est chorda, possunt aequari *be* curvae bis. Illa suppositio probatur, uti praemissa in textu probatur. Nam dabilis est locus, ubi sunt maiores *be* curva bis, et ubi minores, et ideo et, ubi aequales.

3. Dico hanc secundam suppositionem non habere locum nisi ubi differentia est ut portio, et hoc probat prima suppositio. Nam si dixeris in secunda suppositione differentiam

maiolem portione, erit igitur quinta minor sexta. Quae est sextae aequalis, quando differentia chordarum sicut portio quintae, et minor, si differentia maior, et maior, si differentia minor, ut de se patet.

4. Esto igitur, quod ad sextam addatur tota portio et ad quintam tota differentia. Tunc erunt aequales, et quaelibet maior *be* curva. Si igitur subtrahitur aequale, ut quaelibet sit sicut *be* curva, tunc necesse est, quod de sexta cum portione subtrahatur plusquam medietas portionis, cum portio ponatur minor differentia, et oportet quod de differentia subtrahatur minus quam medietas, et tantum minus eius medietate, quantum prius plus medietate portionis, ut simul maneat medietas portionis et medietas differentiae, quae additae sextae et quintae efficiant *be* curvam bis, ut de se patet. Sexta igitur cum medietate portionis erit tunc maior *be* curva; non erit igitur sexta cum medietate portionis aequalis *be* curvae differentia portionem excedente.

5. Puta tu dicis, quod *bg* quinta cum medietate differentiae *fe* sextae et *bg* chordae quintae, et *ef* sexta cum medietate *fg* portionis simul aequentur *be* curvae bis, et dicis differentiam *fe* et *fb* maiorem *fg* portione. Sit igitur linea *hi* ut quinta *bg*, cui addatur differentia quae sit ut *ik*. Sit alia linea sub dicta descripta *lm* ut sexta *fe*, cui addatur portio *fg*, et sit *mn* ut *fg*; linea *hk* est ut linea *ln*. Signetur medietas differentiae, quae sit *io*, et medietas portionis, quae sit *mp*. Cadat orthogonaliter inter *p* et *o*, quae sit *rs*. Quanto igitur *ms* est minus medietate portionis, quae est *mp*, tanto *ir* maior medietate differentiae, quae est *io*. Erit igitur *ls* aequalis *be* curvae. Sic sexta *lm* cum medietate portionis est maior *be* curva. Ubi ergo sexta cum medietate portionis debet esse aequalis *be* curvae, medietas differentiae non erit maior medietate portionis (cfr. figura 2).




fig. 2

6. Sic si dixeris differentiam minorem portione, sequitur sextam cum medietate portionis minorem *be* curva. Oportet igitur, si sexta cum medietate portionis debet esse aequalis *be* curvae, quod differentia sextae et chordae quintae non sit maior aut minor portione. Quo casu probat primum praesuppositum secundum, scilicet quintam cum medietate differentiae et sextam cum medietate portionis tunc aequari *be* curvae bis, quando differentia fuerit ut portio, et hoc est, quando quinta est ut sexta, et hoc est intentum.

7. Ecce mirabilem modum ostensionis, quoniam sive dixeris differentiam aequari portioni in secunda suppositione sive non aequari, sequitur in prima suppositione differentiam aequari portioni, et per consequens et in secunda suppositione. Et est quaedam coincidentia oppositorum, quoniam per hoc, quod dicis differentiam non aequari portioni, sequitur, quod aequetur, et falsum interimit seipsum.